



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

77 Veniant mihi miseraciones tuæ, & viam: quia lex tua meditatio mea
est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

Eccl. 2.

tudinem illius, sic misericordia illius cum ipso est. Denique nihil tam frequenter in Scripturis tuis misero mihi commendatur quam misericordia: nihil tam dulciter recordor, quā illius, quā effudisti super omnia opera tua. Propterea quā sperāda fuerāt à bonitate tua beneficia, etiāsi nulla precessissent: nunc autem, ut ait S. Gregorius, de ea vel dubitare maximi periculi est, dum præteritis donis ad portum spei quasi immensis quibusdam funibus ligamur. Vide locum insignem.

*Eccl. 1.**Lib. 26.**Mor. c. 17.*

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, quia lex tua meditatio mea est.

Vita sine addito est æterna.

*Matt. 19.**Io. 5.*

Vita etiā gratiæ vere vita.

Notat sanctus Augustinus, cum vita sine addito ponitur, æternam intelligi: quippè quæ sola verè vita est: in cuius cōparatione ista, quam dicimus, mors potius sit appellanda, quam vita. Et in Euangelio dicitur. Si vis ad vitam ingredi. Nec additur æterna. Et de resurrectione bonorum dicitur. Resurgent in resurrectionem vitæ, haud dubiè æternæ, quamuis non addatur. Sic igitur & David hoc loco. Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, inquit; neque ait in æternum viuam, vel beatè viuam, quasi aliud non sit viuere, quam sine vlllo fine, & sine vlla miseria viuere. Sed tamen etiam vita gratiæ, quæ spiritū
viui-

viuificat, qua Deus ipse vita nostra fit, vita
 verè est, licet non sine labore, atque peri-
 culo. Itaque vtramque, vtpote, cum & hæc
 preparatio ad illam sit, instanter Propheta
 petit. Petit autem fidenter, quia lex tua in-
 quit, meditatio mea est. Debet autem hæc
 meditatio, vt monet S. Augustinus esse in
 fide, quæ per dilectionem operatur. Hoc,
 inquit, dicendum putavi, ne quisquam cū
 totam legem memoriæ mandauerit, totam
 eamque creberrima recordatione canta-
 uerit, non tacens, quod præcepit, nec tamē
 viuens, vt præcepit, arbitretur se fecisse,
 quod legit. Quia lex tua meditatio mea
 est: & hinc adepturum existimet, quod ver-
 bis superioribus propter hoc meritum po-
 stulauit, vbi dictum est. Veniant super me
 miserationes tuæ, & vitam. Hæc medita-
 tio amantis est cogitatio, & tantum aman-
 tis, vt caritas non frigescat huius medita-
 tionis suæ, quantalibet constipetur abun-
 dantia iniquitatis alienæ. Quamquam &
 vox Hebræa hunc errorem, quem S. Augu-
 stinus cauendum putat, dilucidè excludit.
 Non enim quæcunque meditatio dicitur,
 sed quæ pro delicijs habeatur. Nemo autē
 verè potest delicias suas diuinam legem
 computare sola notitia, aut memoria, nisi
 dilectione, & magna dilectione in illa ex-
 erceatur. Quomodo enim sint sine dile-
 ctione deliciae, quæ sunt quædam ex dile-
 ctione delectatio?

*S. Aug.
 hoc loco.
 Medita-
 tio fit cū
 opere.*